DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE

Typho Graviore Petechiali.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GEORGIUS PATON,

SCOTUS.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXII.

GEORGIUS PATON

GEORGIO DEMPSTER,

ARMIGERO,

DE DUNNICHEN,

Uni e Senatoribus Britannicis, &c. &c.

S. P. D.

CUM, vir illustrissime, mecum reputarem, quot et quanta in me, plurimosque meorum, beneficia conferenda generosus curasses, non diu potui ambigere, cuinam hoc opusculum deberet consecrari. Non opis est meae, nec forsitan unquam erit ea aliter, quam grates tibi persolvendo meritissimas, pensare; mihi vero nunquam, dum vita superest, e memoria excident. Populo Britannico felix, et parte ab omni beatus, diu intersis, et patriae seculoque labenti a justo et recto nulla arte detorquendus consulere, et inimicorum etiam, si quos habes, laudibus, quas virtus fidesque intemeratae optime merentur, ornari diu pergas. VALE.

Dabam Edinburgi,
Idibus Juniis 1782.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

Typho Graviore Petechiali.

NOSOLOGI plerumque exanthematis petechias accenſuerunt, quod, utpote quae ſemper ſymptomaticae nunquam idiopathicae ſint, et humores ad putredinem vergere oſtendant, parum idoneum. Cum typhum graviorem comitentur, ſub eo comprehendendae *.

Quem morbum depingere aggredior, is hoc tempore non aeque frequenter, ac o-

A lim,

* Vid Synop. Noſol. Method. Cel. Culleni Ord. III. p. 130. et 71.

lim, invadere folet. Domus enim hodiernae laxiores funt, et meliorem perflatum habent. Ratio quoque munditiae veftimentorum et totius cultus major habetur. Ad hoc, multo plus olerum faccharique hodie adhibetur. Febres igitur, humorum ad putredinem proclivitate ftipatae, apud pauperculos, quam opulentos, multo faepius femet oftendunt. Quolibet modo, velut cibi inopia, venere, vigiliis, evacuationibus, ftudio intenfiore, fimilibufque debilitati, morbo magis patent.

HISTORIA MORBI.

Primum languoris et inertiae fenfum, fi corpus dimovere incipit, conqueritur aegrotus. Ofcitatur pandiculans. Deinde horror certus notatur, qui ad frigus ufque augetur, quod excipit calor, et nonnunquam fudatio. Ab initio morbi ufque, fubeft max-

ima

ima debilitas. Caput dolet; univerſum corpus, praeſertim artus, invadunt dolores; accedit nauſea et nonnunquam vomitio. Ictus arteriarum debiles, plerumque frequentes. Speciem prae ſeſe variam fert urina, modo pallida et cruda, modo rubra et turbida. Sanguinem hoc morbi tempore detractum nonnunquam tegit cruſta coriacea albida. Sitis magnopere urget. Lingua plerumque ſordibus, ſaepe cruſta nigra cooperta. Appetentia cibi ex toto ceſſat. Pervigilium et delirium ſubſtant; ſomnus, ſi aliquando forte obrepit, non reficit; corpus in lecto huc illuc conſtanter agitatur. Vultus non amplius vividus. Oculi plerumque rubeſcunt et inflammantur. Suſpirat aeger, et praecordia ei opprimuntur. Lingua areſcit, et tandem nigreſcit, aliqua ex parte fiſſa. Labia et dentes ſordibus tenacibus ſuccinguntur. Tota corporis ſuperficies odorem cadaveroſum emittit. Tempore morbi incerto, plerumque a quarto ad diem decimum quartum, rubrae, lividae, nigraeve maculae, pulicum morſus referentes,

rentes, quae vulgo petechiae appellari solent, in pectore, sed plerumque in partibus extremis, semet ostendunt. Haec eruptio vero morbum non levat. Ea est omnium membrorum debilitas, ut, motu levissimo adhibito, syncope periclitetur accedere. Auditus, morbo recentiore fere insigniter acutus, nunc amittitur, aures tinniunt, sudor frigidus et viscidus certis in partibus corporis, velut in facie, cervicibus, vel pectore, prorumpit, dum reliquae, potissimum extremae, admodum aridae manent.

Pulsus arteriarum nunc adeo debiles tremulique evadunt, ut nequeant numerari. Vox intremit, vel sensa animi parum enunciat.

Ægrotus floccos, vel in stragulis eminentia, assidue carpit. Spiritus difficilis, et non absque sonitu, suspirio, vel nonnunquam singultu, trahitur. Extrema, ut ungues et digiti, livescunt. Petechiae e rubris nigrae fiunt, et anima non parum foetet. Sudores foetidi erumpunt, et stercus odorem intolerandum emittit. Sphincteres

resolvuntur, et faeces et urina aegro nolenti excernuntur. Subsultus tendinum, et demum convulsiones accedunt, et mors tandem gravissima supra posita ad finem perducit.

DIAGNOSIS.

Hunc morbum a synocha, vel febre inflammationem habente, secernunt animus demissus, ictus arteriarum debiles, totius corporis infirmitas, petechiae, sanguis dissolutus, excreta ad putredinem vergentia; a typho petechiae solae, et signa fere universa graviora.

Signa quae exitum morbi faustum promittunt.

Haec plerumque incerta. Caeterum, si delirium mite, vires parum convulsae, nulla anxietas, cutis mollis, lingua sordium expers et humida, pulsus arteriarum pleniores et validiores evadunt; si tremor, stupor,

por, et alia ſigna cerebri male affecti propria imminuuntur; ſi petechiae rubeſcunt, aegrotum ad ſanitatem reductum iri ſpes non parva affulget. Surditas, undecunque oriatur, ſaluti eſſe creditur.

Signa quae malum fore oſtendunt.

Ea autem ſequuntur tanta debilitas, ut aeger nequeat decumbere, artus extenſi, corpus movendi difficultas et ſyncope, vox mutata et debilitata; ſpiritus difficilis, et motu leviſſimo adauctus; facies collapſa, pulſus arteriarum languidi, extremorum frigus, ſudores frigidi et oculorum nonnunquam diſtortio, viſus duplex, motus ſyſtematis nervoſi abnormes, coma, delirium, linguae tremor. Si hic manet, totumque corpus convellitur, mors brevi ſubſequitur.

CAUSÆ REMOTÆ.

Inter has autem imprimis enumeranda ſunt effluvia illa nociva, quae corpus humanum ſanum morbidumve exhalat. Ea raro nocent, ſi aëri admiſceantur, et hoc modo diſſipentur. Si vero circa corpus retineantur, vel in locis, ad quae aër non libere adſpirat, accumulentur, dotes quam maxime peſtiferas ſibi adipiſcuntur. Viribus autem hujuſcemodi inſtructa morbum facillime movent.

Quae contagio vero a fomite, veluti ſtragulis, veſtimentis, &c. oritur, quam quae recens a corpore humano proficiſcitur, magis virulenta et nociva, forſitan quod accumulata fuit et aliquantum fermentationis ſubiit. Loca, ubi haec contagio maxime virulenta redditur, ſunt carceres, caſtra, naves, et ſimilia. Reliquis cauſis, quae hunc morbum movere dicuntur, annumerantur

aër

aër vaporibus foedis, a ſubſtantiis diverſis ortis, corruptus, miaſmata a rebus animalibus putreſcentibus aquave ſtagnante proficiſcentia, aër calidus et humidus. Humidus enim aër, quod e ſpiraculis cutaneis conſtanter excernitur, ſupprimit, quod in corpore retentum, utpote quod ſua natura valde putreſcens ſit, ut maſſa humorum novo et inſolito ſeptico fermento vitietur facit. Calidus vero aër putredini manifeſtiſſime favet.

Hunc morbum quoque faciunt perſpiratio veſtimentis humidis obſtructa, affectus animi, ut moeror, metus, &c. intemperantia; exinanitiones nimiae, alvi purgatione, ſudatione, ſanguinis detractione factae; ſtudium protractius et intenſius, quodcunque denique corpori vires convellit. Caeterum, admodum probabile eſt, haec omnia, quae enumeravi, cum humana contagione tantum conjungi, et actionem hujus in morbo concitando promovere.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Causam hujusce morbi proximam pro certo detegere in primis difficile. Contagio, quae morbum excitat, massam sanguinis ingressa in humores in morem septici fermenti agere, et ut ad putredinem vergant facere videtur, ut testantur anima foetida, odor gravis a corpore et excretis proficiscens, sanguis venis detractus cogi, ut solet, recusans, vibices, et petechiae. Quae omnia quidem proclivitatem ad putredinem massae humorum inesse plane demonstrant. Utrum vero haec necne pro causa proxima debeat haberi, ignoro. Multi eam in spasmo superficiei corporis consistere opinantur. Sensus frigoris quidem a spasmo vasorum extremorum manifeste pendere videtur.

QUORUNDAM SIGNORUM RATIO.

Doloris capitis.—Hic ſaepe affectum ventriculi pro cauſa remota, et vaſa forſitan capitis ſanguine nimis turgida pro cauſa proxima, habere videtur.

Affectionum viſus et auditus.—Hi ſaepe ob nimium forſitan ſanguinis curſum ad oculos aureſque factum acutiſſimi, ob vires, contra, toti ſyſtemati, potiſſimum nervoſo, convulſas et infractas, admodum hebetes evadunt.

Petechiarum.—Hae ab humoribus ad putredinem proclivibus, vel revera forſitan diſſolutis, proficiſcuntur.

Delirii.—Hoc duplex eſſe poteſt. Unum a collapſu vel vi ſyſtematis nervoſi imminuta; alterum, quod nonnunquam, ſed nimis frequenter, hoc in morbo oritur, ab impetu ſanguinis ad cerebrum aucto pendet. Hoc *ferox*, illud *mite*, appellatur. Caeterum, delirium, me judice, ab aliquo quoque poteſtatis nervoſae in febre motu obnormi

de-

deduci videtur; quoniam ſanguinis motus ſaepe, ob exercitationem, mirum in modum intenditur citra ullum vel minimum delirium.

Diarrhoeae.—Finem morbi verſus diarrhoea nonnunquam invadit. Haec ab humoribus ad putredinem nimis vergentibus, et curſu eorum canalem ad alimentarium facto, oriri videtur. Caeterum, ab emeticis et purgantibus, quoque ſub initium morbi, neglectis, ſaepe forſitan pendet; unde materia acris in ventriculo et canali alimentaris retinetur, putrida evadit, et ita inteſtina irritat, adeo ut diarrhoea periculoſiſſima moveatur. Quinetiam forſitan materia acris per vaſcula lactea abſorpta, et in maſſam ſanguineam devecta, novum fermentum ſepticum morbo adjicere, vimque ejus intendere poteſt. Si diarrhoea pergit, corpuſque magna ex parte nutriri impedit, talis debilitas brevi oritur, qualis citius ſeriuſve morte finiri conſuevit.

Haemorrhagiarum.—Hae, ſi hoc in morbo incidunt, a diſſolutione, putredine, et acrimonia

acrimonia forſitan maſſae ſanguinis, proficiſcuntur.

PROPHYLAXIS.

Quo morbo venire periclitanti efficaciter occurratur, cauſae remotae diligenter fugiendae.

1. Cura adhibenda, ne contagio in corpus recipiatur.

2. Corpus adeo cuſtodiendum, ut contagioni queat obſiſtere.

Quaecunque ad putredinem faciendam poſſunt conferre, ea a domibus, ubi ſani degunt, longe removeantur. Neminem fugere poteſt, loca, ubi quilibet morbus epidemice graſſatur, eſſe evitanda et fugienda; et ad eos, qui eodem laborant, non temere accedi debere. Si haec praecepta nequeant ſervari, vel neglecta ſint, animus aegroti ſumma ſpe foveatur, gravitaſque morbi, quantum fieri

poſſit,

possit, elevetur necesse est; quoniam timor reliquique affectus, qui animum contristant, actioni contagionis non parum auxiliantur. Corpus diaeta nutriente, sed non admodum plena, utpote quae irritabilitatem corporis augeat, et operationi contagionis faveat; usu vini, potissimum rubri Lusitani, quod vim antisepticam habet maximam, liberali, et liquoribus spirituosis modice adhibitis, firmetur. Quodcunque idem debilitat, id curiose vitetur, ut intemperantia, venus nimia, affectus animi tristes, quales sunt timor, moeror, reliquique idem genus. Si contagio adest, antiseptica, velut cortex Peruvianus, vinum rubrum Lusitanum, camphora, &c. adhibeantur. His accedat exercitatio. Summa munditiae, quantum et vestes et stragula spectat, ratio habeatur. Aër purus et frigidus, qui, in hoc statu rerum, plurimum solet prodesse, ad omnes domuum partes libere adspiret. Vapores aceti, vel aliorum antisepticorum, per cubicula et domos diffundantur. Constet victus pars major ex frugibus, &c. iisque quam

maxime

maxime recentibus; aliquantum vero cibi animalis (qui tamen ſemper debet eſſe a putredine alieniſſimus) neceſſarium erit ad vires corporis ſuſtinendas. Animalium cadavera, cum primum incipiunt putreſcere, humentur. Nec merces veſteſve infectae aëri prius objiciantur, quam, in morem cubiculorum contagione vitiatorum, loco inclauſo ex ſulphure fuerunt ſuffitae. Omnia veſtimenta lintea vel alia infecta non in aquam calidam, ne vapores inde oriundi noxae ſint, conjicienda; ſed aliquot per horas frigida vel lixivio ſaponaceo, ut ſordes hoc modo tollantur, diligenter maceranda.

RATIO MEDENDI.

E ſignis in hiſtoria morbi ſupra compreheniſis debilitatem, et ad putredinem proclivitatem, maxime urgere, plurimumque periculi habere, conſtat. Igitur forſitan quatuor

medendi

medendi consilia sequentia idonea esse videbuntur.

I. Spasmum vasorum extremorum tollere.

II. Magnum sanguinis impetum sub initium moderari, quod omissum progressum putredinis accelerat.

III. Vigorem corpori universo reddere.

IV. Putredinem humorum corrigere..

Quae medicamenta, aliaque remedia adhibenda, ea tabula in sequente proponuntur.

I. Spasmum vasorum extremorum tollere,
Hoc autem praestant,
A. Interna, quae sunt.
a. Ea remedia, quae cursum humorum superficiem versus faciunt, velut
a. Diluentia,
b. Sales medii,

c. Sudo-

c. Sudorifica,

d. Emetica.

b. Remedia antiſpaſmodica dicta.

B. Externa, velut

a. Epiſpaſtica,

b. Balneum calidum.

II. Magnum ſanguinis impetum moderari.

A. Venaeſectione.

III. Vigorem univerſo corpori reddere, vel cauſas debilitatis tollere, vel effectibus ejuſdem occurrere. Hoc autem fit,

Actionem cordis et arteriarum ſuſtentando et augendo:

A. Tonicis, ut

a. Frigore,

b. Tonicis medicamentis, quae ſunt

vel *a*. Foſſilia, ut ſaccharum ſaturni, &c.

vel *b*. Vegetabilia, ut cortex Peruvianus.

B. Sti-

B. Stimulantibus, velut
a. Aromatis, &c.
b. Vino.

IV. Putredini humorum occurrere, vel eandem corrigere. Hoc fieri poteſt,

1. Cavendo ne putrida vel putreſcentia corpori admoveantur, aut in id recipiantur.
   A. Ægrotum e locis aëre corrupto repletis removendo.
   B. Effluviorum aegri ipſius accumulationem vitando;
      a. Aëre puro et frigido in cubiculum conſtanter admiſſo.
      b. Stragulis induſiiſque frequenter mutatis.
      c. Excretis diligenter et cito ſublatis.
      d. Cibo animali evitato.
2. Putrida aut putreſcentia, quae jam in corpore ſubſunt, foras expellendo;
   A. Inteſtina frequenter evacuando.

B. Excretiones perſpirationis et urinae ſuſtinendo,

a. Diluentibus,

b. Salibus Mediis.

3. Putrida aut putreſcentia, quae in corpore manent, et expelli nequeunt, corrigendo :

A. Diluentibus, ut

a. Aqua frigida per ſuccum limonum, acidumve potius vitriolicum, grata reddita, vel aëre fixo quam maxime repleta.

b. Succo pomorum, aurantiorum, &c.

Si hic comparari nequit,

c. Cereviſia tenui.

B. Aëre fixo in alvum forma enematum immiſſo.

a. Frigida antiſepticis imbuta ſuperficiei corporis applicata.

4. Putredini ulteriori obſiſtendo, vel effectibus ejus occurrendo, quod tonum vaſorum medicamentis tonicis ſuſtentando fit.

De

De multis vero horum remediorum fusius dicere non inutile erit, quo melius intelligantur variae eorum vires atque idonea administratio. Primum autem de aëre puro et frigido, qui in hac febre efficácissimum remedium est, differetur. Fenestrae foresque cubiculi aegrotantis interdiu, vel saepe etiam noctu, apertae teneantur, ut aëra frigidum inspiret. Cubiculum sit amplum, et quam paucissimi aegrum invisant, ut aër semper talis sit, qualis eum refrigeret et reficiat. Stragulis levibus tegatur aeger. Si in hanc medendi viam procedatur, plus in morbum poterunt reliqua medicamenta tonica. Aër autem frigidus vim tonicam potentissimam habet, vigorem tonumque universo corpori conciliat, delirium, spiritum difficilem, et alia signa periculosa, levat. Non tantum aër frigidus, sed aqua frigida, vel simplex, vel antisepticis, ut aceto, imbuta, adhiberi, eaque totum corpus lavari potest. In hanc curandi viam in Silesia et nonnullis aliis regionibus, et a Doctore Shreiber, Nosocommii

Petribur-

Petriburgenſis medico, feliciter fuit proceſſum; caeterum apud Britannos pauciſſima hujuſce medendi rationis pericula facta.

Proximus frigus applicandi modus eſt potus frigidus. Hunc ex aqua pura, vel decocto hordeaceo vel avenaceo, apte compones, et tantum acidi vitriolici, ſuccive limonum, quantum eum acore grato impertiatur, ei admiſcebis. Liquor hujuſmodi aegrotanti in primis gratus eſt. Frigida in ventriculum accepta poteſtatem tonicam ſingularem habet, et actionem cordis et arteriarum intendit; ſed in quibuſdam inflammationibus, aut graviore tantum diatheſi phlogiſtica ſubſtante, nocere videtur. In hoc morbo vero, ubi nullus ad cerebrum, pulmones, &c. impetus ſanguinis fit, quam maxime prodeſt. Liberaliter, et ad libitum aegroti, detur. Namque ſecretiones et excretiones auget; tonum ventriculo et inteſtinis, et per conſenſum illius proprium corpori univerſo comparat, et brevi per organa diverſa excernentia e corpore expellitur. Omnia acria et putreſcentia diluit

luit et corrigit, et ut e primis viis evacuentur facit.

De diaeta proximum eſt ut dicamus.

Hoc in morbo, ob debilitatem et humores ad putredinem pronos, alimentum magis nutriens, quam aliis in febribus, adhiberi poteſt.

Res animales tamen, quanquam plurimum nutrimenti continent, quia putredinem adaugent, hoc in morbo vitandae. Farinacea igitur magis idonea videntur, ſcilicet, quae iſto incommodo plane carent, et ſatis fere nutrimenti praebent; et aliae quoque bene multae fruges, variae nimirum radices eſculentae, et olera, ſed, prae omnibus, varii fructus maturi, qui cibo ſimul atque remedio ſunt aegrotantibus, corpus refrigerant, ſitim ſedant, vires gratiſſime reficiunt, alvum leniter ſolvunt, humorum acrimoniam corrigunt, et putredini fortiter obſtant.

Lux, ſonitus, et ſimilia irritamenta, quia aegrotum turbant, ſomnumque arcent, et quia organa viſus et auditus nonnunquam

nimis

nimis acuta evadunt, infigni noxae fint oportet. Caeterum, in quibufdam delirii exemplis, lucem ad aegrum admittere, aliquando commodo non parvo fuiffe vifum eft.

Qui affectus animum contriftant, ii diligenter fugiendi. Animum aegrotantis fumma fpe fovere, et, quantum fieri poteft, exhilarare, fummi eft momenti. Si enim ei fit perfuafum, morbum, quo laborat, multum periculi habere, vires ei faepe adeo concidunt, ut auxilium ferre medicina fruftra conetur.

Epifpaftica.—De modo, quo epifpaftica in corpus agunt, inter medicos acriter fuit certatum. Ex effectibus quos edunt, prope partes inflammatas admota, concludi poteft, ea curfum fanguinis mutare, et fic evacuatione feri quam faciunt partes laborantes relaxare, et igitur in morem antifpafmodicorum agere. Vis eorum ftimulatrix brevi ceffat; namque remotis et fero effufo, vafa turgida nimia humorum copia mox levantur, fpafmufque tollitur. Effec-

tus

tus cantharidum in maſſam ſanguinis nullius momenti eſſe videntur; quantitas enim tam exigua in maſſam tam largam abſorptione devecta vix ullam mutationem facere poteſt. Hoc in morbo epiſpaſticorum applicatio attentionem ſummam requirit. Quo propius laborantem partem applicantur, eo magis prodeſſe ſolent. Si delirium ferox adeſt, quod indicant dolor capitis gravis, rubor faciei et oculorum, lucis ſonique intolerantia, pervigilium, oculi ex orbitis ſuis quaſi protruſi, acuta pyrexia, epiſpaſticum capiti tonſo ſuperimpoſitum, in morbum multum poteſt. Temporibus admotum, dolorem capitis acutum levat. Cum ſtupor tarde accedit, diuque manet, niſi hic ingens et aegrotus fere inexcitabilis fuerit, aliaque mala ſigna, puta cerebri oppreſſi, adfuerint, epiſpaſticis potius abſtinendum; in hoc enim ſtatu, aegrotum naturae concredere melius *. Hoc in morbo cum adhibentur, debilitas et humorum

* Celeb. Gregorii Praelect. Clin.

morum ad putredinem proclivitas tantae cum ſubſint, partes diligenter attendendum. Antequam admoventur, ſi partes frigeant, fovendae, vel fricandae, et deinde panno laneo calido ſiccoque involvendae, ut materia exudans abſorbeatur. Si ſtranguria oritur, liquores mucilaginoſos liberaliter bibat aegrotus, vel artubus applicetur oleum camphoratum *. Cum ſingultus aegrotum invadit, pro epiſpaſticis ſinapiſmi regioni epigaſtricae cum commodo admoventur, quoniam magis ſubito agunt, et ſaepius quam epiſpaſtica applicari poſſunt.

Balneum calidum.—Hoc remedium ab antiquioribus, ut ſcripta eorum teſtantur, multum fuit adhibitum; ſed ab hodiernis, niſi per paucos annos proxime elapſos, fere neglectum. Calor balnei vaſcula extrema ſtimulat, et per humiditatem ea quoque relaxat; et igitur ſtimulus tutus, et ad ſpaſmum horum vaſorum ſolvendum optime accommo-

* Clar. Homii Praelect.

accommodatus, esse videtur. Totum autem corpus immergere et in primis difficile et incommodum, et ob magnam, quae subest, debilitatem, aegrotus non absque periculo dimoveri potest. Igitur fomenta pro eo extremis partibus admota, judicio nostro, sufficient. In systema enim nervosum agendo, relaxationem partis, et per consensum, totius corporis faciunt; unde somnum inducunt, deliriumque levant, sic interdum non parum prosunt. Cruribus ad poplites usque pànni lanei applicandi sunt modice calidi et parum humidi; aqua enim, si nimia adsit, evaporando frigescens perspirationem magno cum aegroti periculo supprimit. Licet comprimendo admodum exsiccentur, vapores tamen circa partem adeo diffundunt, ut effectus exoptatos edant. Per semihoram et amplius continuari possunt, et pro re nata, vel statim vel ex idoneis intervallis, veluti horarum aliquot, repeti debent. Cum delirium affectusve spasmodici, ut tendinum subsultus, accedunt, per stimulum lenissimum,

quo nervos afficiunt, et relaxationem, quam generant, non tantum ſomnum inducunt, ſed excretiones quoque et ſecretiones promovent.

Detractio ſanguinis per cucurbitulas cruentas.—Emeticis adhibitis, et primis viis rite purgatis, ſi dolor capitis etiamnum manet, eundem a ventriculo non proficiſci concludere licet. Si ſignis inflammationis topicae evidentibus, ut arteriarum temporum pulſatione, et impetu ſanguinis ad caput manifeſto ſtipetur, cucurbitulae cruentae temporibus admotae magnopere prodeſſe poſſunt, et hirudinibus applicatis efficaciores et tutiores ſunt, quod quamlibet fere ſanguinis quantitatem hoc modo elicere valemus. Si curſus ſanguinis inuſitatus pulmones verſus ſit, quod nonnunquam in febribus quam maxime putridis incidere ſolet, ſanguis lateri per cucurbitulas detractus, cum talis ſanguinis miſſio corpus parum infirmet, ſigna levabit. Caeterum, cura adhibenda, ne plus, quam quod omnino neceſſarium fuerit, educatur; quoni-

am

am hoc debilitatem adauget. Si delirium, ante mite, ſubito ferox evadit, proderit ex arteriis temporum ſanguis emiſſus.

Sales medii.—Horum plerique, qui in febribus uſurpantur; ex alkali vegetabili fixo, et interdum ex volatili, acidoque vegetabilium nativo, conſtant. Secretionem urinae promovent, et, ſi corpus calidum ſervetur, diaphoreſin lenem excitant. Contra vomitum, qui toties in febribus incidit, idoneis evacuationibus prius adhibitis, inſigniter ſunt efficaces. In hoc morbo ſemper dandi, dum effervefcunt, vel acidum prius; deinde alkali ſumendum, quod faciet ut in ventriculo certius effervefcant. Aër fixus, inter effervefcendum expeditus, vim putredini inimiciſſimam habet, et quamlibet materiam putreſcentem, quae in ventriculo ſupereſt, corrigit. Et profecto hauſtus ſalinus, ſtatu effervefcentiae datus, et per ſpatium, quod febres notis putredinis ſtipatae habent, frequenter reiteratus ſucceſſu cum proſperrimo fuit adhibitus *.

Sudorifica.

* Vide Dr Dobſon, De Aëre Fixo.

Sudorifica.—Ob debilitatem et humorum ad putredinem proclivitatem omnes hoc in morbo evacuationes liberales, utpote quae debilitatem adaugeant, noxae ſunt. Quocirca ſudorifica non adhibenda ſunt; ſudationem enim movere et putredinem auget, et corpus multo, quam ante, infirmius reddit. Si vero ſudorifica unquam adhibenda ſint, lenia, antiſeptica, et refrigerantia, qualia ſunt acida vegetabilia, maxime conveniunt; haec enim in ſuperficiem corporis inſigniter agunt, et cor et arterias minus irritant. Camphora idem praeſtare fertur. Æger non ſtragulis onerandus, nec ſudor calore magno extorquendus, ſed liquoribus tepidis promovendus, ut decocto hordeaceo vel avenaceo, quod ſuccus limonum, potiuſve vinum adjunctum, gratum reddit. Haec medendi ratio adhibita, aliquo recens infecto, febrem forſitan, quae alioquin orta fuiſſet, ex toto praecaveret.

Emetica.—Haec in febribus impraeſentiarum multum adhibentur; de modo vero ea adhibendi medici differunt, alii plena vomitio,

vomitio, alii, contra, nauſea tantum moveatur, ſuadentes. Sub initium morbi, ſi contagionem adeſſe ſuſpiceris, emeticum tempeſtive ſumptum progreſſui ejus ulteriori occurrere poteſt. Ad plenam autem vomitionem excitandam optime accommodatur pulvis ipecacuanhae. Plurimum ſaepe prodeſt plena vomitio; namque pituitam viſcidam evacuat, ductus biliferos et pancreaticum emulget, et, cum viſcera abdominis agitet, circuitum ſanguinis et ſecretiones promovet, vaſcula ventriculi excernentia aperit, et, curſum ſanguinis ad ſuperficiem corporis faciendo, cutem ubique humidam efficit. Sub initium morbi, pulvis ipecacuanhae, cujus doſin accuratiſſime novimus, dari poteſt; ſed cura adhibenda, ne doſis nimis ſaepe repetatur; namque periculum eſt ne aegrum nimis debilitet.

Cum febres plane et manifeſte invaſerunt, emetica, ut nauſeam excitent, adhibent medici. Huic conſilio accommodantur varia ex antimonio praeparata, qualia ſunt calx antimonii nitrata, tartarum emeticum,

ticum, &c. quod ufu eorum curfus fanguinis ad fuperficiem magis diuturnus fit. Caeterum, tartarum emeticum faepiffime adhibetur, quippe cujus dofis fatis certo ftatui poffit, cuique omnium reliquorum dotes plane infint. Hoc ex aqua folutum, et idonea poft intervalla quantitatibus exiguis datum, impetum fanguinis ad fuperficiem corporis, naufeam movendo, facit, et vi antifpafmodica vaforum extremorum fpafmum depellit. In ventriculum diutius, quam reliqua, agit, et, licet pars ejus exigua vomitione rejiciatur, quod fupereft pylorum tranfit, et alvum folvit. Per totum, quod habet hic morbus, fpatium, non parum curae adhibendum eft, ne faeces in inteftinis accumulentur. Igitur enemata ex aqua calida confecta, vel fructus tamarindorum, vel alia laxantia antifeptica ex ea diffoluta, quotidie, vel diebus alternis, danda, quo alvus per totum morbi curfum modice foluta teneatur.

Venaefectio.—Signa inflammationis fub initium hujus, aeque ac aliarum febrium, quas

quas poſtea notae putredinis comitantur, ſemet nonnunquam oſtendunt. Pringelius illuſtris ſub initium aliquantum ſanguinis plerumque detraxit, et propter ſignorum quorundam violentiam talis exinanitio, et quidem ſatis copioſa, haud raro neceſſaria videtur. Magnas tamen detractiones generales, vires pulſuum arteriarum imminuendo, et dolorem capitis deliriumque faciendo, evidenter nocere notavit. Quanquam enim ſanguis cruſta coriacea albida nonnunquam tegeretur, ejus tamen detractio incommodo, immo periculo, erat *.

Ex his omnibus rite conſideratis, detractionem ſanguinis generalem, quolibet morbi tempore, magnam propter debilitatem ſubſecuturam, prudentiam ſummam requirere apparet. Igitur ad eam, niſi ſigna diatheſeos inflammatoriae evidentia ſubſint, nunquam confugiendum.

Alia

* Vide Obſervations on the Diſeaſes of the Army.

Alia medicamenta, quae ſunt tonica et antiſeptica, ut conſideremus proximum eſt.— E foſſilibus, ſaccharum ſaturni primum conſiderandum. Pauci medicorum hodie, et hoc medicamentum, et alia e plumbo praeparata dare ſunt auſi. Nulli ex eorum effectibus bonis comperti, et noxas, quae ab iis ſoleant oriri, omnes adeo norunt, ut uſu eorum interno debeat abſtineri. Certa quantitate ſumpta, potentiſſimum venenum evadunt.

Quae efficaciſſima ſunt, et in quibus ſummam fiduciam collocamus, ea ſunt cortex Peruvianus et vinum.

Cortex Peruvianus—De modo, quo hoc medicamentum in corpus agat, acriter certarunt medici; alii id in humores, alii in ſyſtema nervoſum, agere contendentes. Caeterum, ſententia prior, quae vi antiſeptica in humores agere ponit, fundamento parum ſtabili inniti videtur. Cum vero febribus in intermittentibus, ante paroxyſmum reditui atoniae, unde recurſus paroxyſmi ipſius videatur pendere, occurrendi conſilio detur;

detur; cum ſubitos effectus edat ſumptus, cumque iidem ſint fugaces; in uſu enim ejus, poſt paroxyſmos ſublatos, quo curatio abſolvatur, aliquamdiu perſtare neceſſe eſt; cum eum tam prope acceſſionem paroxyſmi, quam aegrotantis ventriculus poſſit ferre, dare conveniat; cum in ventriculo tarde ſolvatur; cum repente agat, certis corporis partibus gangraena laborantibus externe applicatus, vel interne aſſumptus; cumque, denique, in omnibus debilitatis exemplis, ſine ulla humorum ad putredinem proclivitate, magnopere proſit, vix fieri poteſt, quin in ſyſtema nervoſum, prius quidem in nervos ventriculi proprios, agere, deinde vim ſuam ſalutiferam cum reliquo ſyſtemate nervoſo communicare, haud dubii concludamus. Effectus ejus vero tonici ſunt; namque in auxilium omnium morborum, qui a debilitate pendent, vel quorum debilitas pars eſt, promptiſſimus eſt. Hinc plane manifeſteque conſtabit, quonam hujus morbi tempore ad corticem decurratur oportet. Primis viis per emetica antimonialia et ene-

mata, uti ſupra praeceptum, rite purgatis, ſi nulla inflammatio loco propria, vel impetus ſanguinis caput pulmoneſve verſus inuſitatus ſubſit, ad corticem protinus confugiatur, qui ſubſtantia, largiſque quantitatibus dari debet vino rubro Luſitano admiſtus. Hoc enim ex omnibus vinis maxime antiſepticum. Si haec forma aegroto minus arrideat, infuſum decoctumve ejus adhiberi poteſt. Caeterum, ſubſtantia corticem dare omnibus aliis eum adhibendi modis et melius et efficacius, et, niſi aliqua aegrotantis proprietas impediat, ſemper anteponendum. Corticem vino, utpote quod antiſepticum praeſtantiſſimum ſit, et vires aegri ſuſtineat, quam maxime convenit adjungere. Hoc modo in cubiculis Noſocomii Regii Edinenſis clinicis, ſucceſſu cum proſperrimo, a Gregorio celebri dari vidi.

Si, quocunque modo ſumatur, vomitum vel diarrhoeam moveat, haec levandi opium prudenter adhibeatur; ſi alvum, contra, nimis aſtringat, enemata in alvum immittantur.

Stimu-

Stimulantia.—Haec tonum fibrarum motricium indirecte augent, ſed magis directe actionem cordis et arteriarum intendunt. Quocirca, in omni exemplo, ubi diatheſis phlogiſtica vel aliqua inflammatio adeſt, inſigniter nocent; ubi vero debilitas univerſa urget, proſunt. Ex omnibus autem ſtimulantibus, vinum eſt optimum. Quae vero vina maxime aſtringunt, et plurimum poteſtatis antiſepticae habent, ea ſunt optima. Quapropter, reliquis palmam praeripit rubrum Luſitanum. Et palato et ſtomacho gratum eſt, et ſatis liberaliter dari poteſt; ſed, ob quantitatem, quam continet, ſpirituoſi liquoris copia, aquae idonea dilui debet. Uſum ejus, et neceſſitatem indicant pulſus arteriarum debiles, abormes, intermittentes; ſtercus aut urina, aegrotanti nolenti, excreta. Plurimum ſemper prodeſt, debilitate univerſa ſubſtante, aut aegro motum omnigenum refugiente, et dorſo incumbente, artubus extenſis, quod magnam debilitatem ſignificat. Largiter dari et prodeſſe vidi in delirio miti, a debilitate pendente,

dente, quod adesse ostendunt ictus arteriarum parvuli et frequentes, vultus pallidus et collapsus, aegrotus tranquillus minimeque ferox. Quinctiam, in delirio feroci, quod magnae debilitati saepe adjungitur, interdum commodo non parvo esse solet. Vi sua stimulante et antispasmodica anxietatem febrilem tollit. In tendinum subsultu, alisque affectibus spasmodicis, qui febrem comitantur, medicamentum potentissimum.

Aër fixus forma enematum in alvum immissus.—Diarrhoea aliquando, finem morbi versus, accedit, quae hoc tempore neutiquam prodesse potest; contra, aegrum magis debilem efficit, mortemque accelerat. Aër fixus, rebus ita sese habentibus, in canalem alimentarium immissus, ut observationes quorundam scriptorum celebrium nuper testantur, multum auxilii promittit. Aër cretae fixus, per acidum vitriolicum explicatus, et per machinam, quae in fumo nicotianae immittendo adhibetur, in corpus devectus diarrhoeam brevi compescuit, foe-

torem

torem ſtercoris correxit, et cito omne ſymptoma grave ſuſtulit. Hauſtus ſalini ſtatu effervefcentiae frequenter, ut ſupra comprehenſum, reiterati, hic quoque juvabunt, et opiata prudenter adhibita.

Antiſpaſmodica.—Horum praecipuum eſt opium. Hoc, diatheſi inflammatoria abſente, in febribus utile. Secretiones et excretiones imminuit. Liberaliter adhibitum haud dubie magnopere ſedat; et, licet ſtuporem et ſomnum inducat, hic tamen minime reficit, ſed ſomniis, capitis dolore, ſenſu frigoris et languoris ſtipatur. Hoc in morbo, cum delirium mite, affectuſve ſpaſmodici, ut tremores aut ſingultus, aegrum vexant, et ſomnum arcent, opium prodeſſe ſolet. Quolibet morbi tempore dari poteſt, ſi affectus inflammatorii deſint, et aeger vigiliam magnamque inquietudinem queratur. In vomitionibus gravioribus, quae ſolutionem tartari emetici ſunt ſubſecutae, hauſtibus ſalinis effervefcentibus incaſſum tentatis, duo vel tria cicutae grana, opio adjuncta,

juncta, et in formam pilulae redacta, ſucceſſu cum feliciſſimo fuerunt data.

Moſchus.—Si hic ſit genuinus, plerumque efficaciſſimus; ſed hoc in ſtatu raro poteſt comparari. Vim ſedantem habere videtur, et, ſi doſis ſit liberalis, ſudorem bene largum elicit. In ſingultu, et affectibus quoque aliis ſpaſmodicis, ut tendinum ſubſultu et tremoribus, feliciter fuit adhibitus.

Camphora.—Quantum et ad uſum et ad actionem hujus medicamenti attinet, medici inter ſeſe longe differunt. Lites vero ſuper his experientia tantum ulterior componere valet.

F I N I S.